

potestas Dei ad omnem potestatem creatam, sic etiam se habet potestas imperatoris ad potestatem proconsulis; sic etiam se habet potestas Papae ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia, quia ab ipso Papa gradus dignitatum diversi in Ecclesia et disponuntur et ordinantur; unde eius potestas est quoddam Ecclesiae fundamentum, ut patet Matth. XIV. Et ideo in omnibus magis tenemur obedire Papae quam Episcopis vel Archiepiscopis. Potest iterum potestas superior et inferior ita se habere quod ambo oriuntur ex una quadam suprema potestate, quae unam alteri subdit secundum quod vult: et tunc una non est superior altera nisi in his quibus una supponitur alii a suprema potestate, et in illis tantum est magis obediendum superiori quam inferiori. Et hoc modo se habent potestates Episcopi et Archiepiscopi descendentes a Papae potestate. » Cf. et in IV D. XX. q. 1^a a. 4^o ad gl. 2^a et 3^a.

Quemadmodum vero ad id quod defendimus confirmandum parum apte produceretur formula qua Episcopi se inscribere solent Episcopos non solum *divina gratia* aut *miseratione* sed et *Apostolica sedis gratia*, quae formula iam seculo XI apparet, et paulatim usurpata usu tandem obtinuit (Cf. Francisci Antonii Zaccharia dissertationum latinarum dissert. XII), ita perperam ad contrariam sententiam suadendam provocaretur ad veterum usum qui solum se *divina gratia*, *divina miseratione*, aut similibus formulis identidem episcopos dicebant. Utraque enim formula in utraque sententia verum sensum fundit. Originem recentioris formulae vide penes auctorem citatum.

Porro doctrina quam haec defendimus componenda est cum ea quam in Prolegomeno §. XVII stabilivimus de divina institutione episcopatus. His enim collatis constat non esse in potestate Romani Pontificis abolere iurisdictionem episcopalem, aut sine episcopis iurisdictionem episcopalem habentibus regere Ecclesiam; sed oportere ipsum vocare in partem sollicitudinis episcopos, iisque super portiones gregis episcopalem iurisdictionem tribuere. Etsi vero Christus non determinaverit ἐν ἀτομῳ quanta esse debeat iurdictio episcopalis; tamen constat eam conferri debere quae sit vera iurdictio in foro externo legislativa, iudicialis, coercitiva respectu singularis ecclesiae regendae; talis est enim iurdictio propria Episcopi seu Pastoris subordinata auctoritati qua universa Ecclesia regitur; ita ut nihil possint singuli episcopi contra ius commune obligans universam Ecclesiam aut in iis quae per se spectant ad universam Ecclesiam, ut in quaestionibus fidei decidendis et generatim in iis causis quae maiores dicuntur: possint autem in suis ecclesiis omnia quae necessaria et utilia sunt proprio regimini earum, ita tamen ut haec po-

testas semper sit subordinata potestati supremae Pastoris qui immediatus est Pastor omnium fidelium. Quocirca licet episcopalis iurdictio per hominem h. e. per R. Pontificem conferatur, est tamen secundum institutionem suam de iure divino, quod eiusdem naturam secundum rationem specificam ut sit nempe potestas coactiva regendi, iudicandi, docendi portiones gregis, eiusque existantiam et perennitatem determinavit. Hinc non negamus fieri posse ut aliquando R. Pontifex modum excedat in coarctanda episcoporum auctoritate quoad quaedam accidentalia, ut Bernardus innuit (De Consid. l. III. c. 4. cf. seq. Thesim), quod et Nicolaus V putavit contigisse identidem (in responsione ad oratores Germaniae post initum Pontificatum, v. Manetti in eius vita); opus est enim prudentiae: at meminisse oportet bonum Ecclesiae universalis praevalere bono cuiusque Ecclesiae particularis, magisque necessariam esse unionem fidelium cum Romano Pontifice qui est Petra Ecclesiae, quam cum singulis episcopis: eiusque actus validos esse posse, etsi forte minus liciti sint, ut monet l. c. Bernardus, iudicemque supremum in controversia de limitibus potestatis episcopalis esse unum Episcopum episcoporum, cui eiusdem quoque custodia et defensio, sicut et ceterorum iurium quae sunt in Ecclesia, concredita est; ipsumque esse fontem immediatum episcopalis iurisdictionis, qui proinde tunc vere honoratur cum singulis suis fratribus honor debitus non negatur, ut ait Gregorius M. epist. 30 L. VIII ad Eulogium Alex. Unde et Nicolaus V l. c. aiebat « nobis sententia est in partem sollicitudinis qui vocati sunt episcopos iure suo minime spoliare: sic enim iurisdictionem nostram deinceps servaturos speramus, si non usurpaverimus aliena », quae ipsis nimirum ex Christi institutione debentur.

IV. Quae pro contraria sententia proferuntur argumenta, petuntur vel ex iis testimoniis Scripturae quibus docemur auctore Christo aut Spiritu S. esse in Ecclesia Episcopos, ut Act. XX, 28 (perperam provocari ad Act. XIII, 1-2 ostendimus Th. VI), vel ex eo quod Episcopi sint successores Apostolorum quos immediate Christus misit, sicut Romani Pontifices sunt Petri successores, vel ex eo quod in nostra sententia Episcopi forent vicarii Papae, quales reapse non sunt, vel eo quod e sententia theologorum regimen Ecclesiae sit monarchicum aristocratia temperatum, vel eo quod olim Episcopi citra consensum Rom. Pontificis instituebantur sive ab Apostolis sive deinde ab Metropolitanis aut Patriarchis.

Verum 1^o iis Scripturae testimoniis efficitur quidem divina institutio Episcopatus; at non efficitur immediata a Deo collatio potestatis. 2^o Episcopi a) non sunt successores Apostolorum presse accepta successione; quia Episcopi exstiterunt viventibus Apostolis qui eos

constituebant: nec sunt *b*) successores quoad aequalitatem; quia potestas apostolica qua talis desiit in apostolis: sed *c*) sunt successores quoad similitudinem, quia continuatur in ipsis potestas quaedam Apostolorum, potestas scilicet ligandi et solvendi, docendi et sacramenta administrandi, sacrosque ministros et episcopos consecrandi, quam potestatem voluit Christus ordinariam esse in Ecclesia in aliis praeter successores Petri. Haec autem non postulant eadem missione mitti Episcopos qua missi sunt Apostoli. Quemadmodum ratione potestatis sacrificandi et remittendi peccata presbyteri quoque dicuntur successores Apostolorum (Trid. Syn. Sess. XXIII, c. 1^o); quin exinde liceat inferre quod habeant a Deo immediate iurisdictionem in foro conscientiae, vel quod licite valeant celebrare sine licentia Episcopi. Quocirca *d*) falsum est esse Episcopos successores Apostolorum sicut Rom. Pontifex est successor Petri: nam hic succedit in universa iurisdictione Petri quae maior erat quam in ceteris Apostolis, et ordinaria; deinde Rom. Pontifex sedet in cathedra episcopali Petri quae iure divino saltem consequente evecta est ad dignitatem Primatus; nullius vero Episcopi sedes iure ullo divino existit.

3^o Falsum est esse in nostra sententia Episcopos Vicarios Papae. Nam non iure Papae sed Christi sunt Episcopi in Ecclesia; nec eorum dignitatem aut auctoritatem potest Papa abolere: exinde duplex est potestas et tribunal Papae et Episcopi: quia Christus praeter cathedram Petri voluit esse cathedras Episcoporum. Nec sunt Episcopi delegati Papae, quia iurisdictionem habent ordinariam vi muneris a Christo instituti. Regunt scilicet Episcopi oves ut suas, quoniam ex Christi institutione Pastores esse debent portiois gregis in quam potestatem ligandi et solvendi exercent. Et licet possit Rom. Pontifex valide a singulis et ab omnibus quoque iurisdictionem auferre, tenetur tamen alios substituere, ut semper sint Episcopi in Ecclesia; nequit enim ipse episcopalem auctoritatem abolere.

4^o Aristocratiae temperamentum eo continetur quod defendimus in Proleg. §. XVII.

5^o Praxis obiecta potius contrarium probat. Nam certe auctoritas Metropolitanorum et Patriarcharum non est de iure divino, ideoque est de iure Ecclesiastico, et idcirco tandem Romani Pontificis: si ergo Metropolitanus vel Patriarchae auctoritas requirebatur ut Episcopus iurisdictionem haberet, a potestate ecclesiastica h. e. a potestate Papae iurisdictio Episcopi dimanabat. Et sane ex hac praxi liquet quod Ecclesia regens ea est quae iurisdictionem confert Episcopis: porro ad eam conferendam requiritur plenitudo potestatis: plenitudo autem potestatis est quidem in Ecclesia sed per Rom. Pontificem qui solus est subiectum eius; ergo ex ea praxi liquet quod iurisdictio ordi-

naria Episcoporum dimanat a Rom. Pontifice vel explicito conferente, vel tacite prout probat canones synodorum secundum quos electio Episcoporum peragitur. Ceterum prioribus seculis Rom. Pontifex Patriarchas confirmabat ad eos rescribens acceptis litteris electionem significantibus, et per eos mediate ceteros ab iis confirmatos. Auctoritatem autem confirmandi Episcopos Patriarchae obtinuerant a suo institutore h. e. Petro utente auctoritate Primatus, quae manet integra in suis successoribus, qui aliud proinde ius inducere possunt. Quod spectat ad Episcopos institutos ab Apostolis, cum hi, licet tanta freti auctoritate, essent reapse inferiores Petro eiusque subessent iurisdictioni, eorumque extraordinaria auctoritas, cuius erat pars potestas constituendi Episcopos ubicumque expedire iudicaret, cum ipsis finire deberet, ideoque non amplius post eorum mortem valitura; pronum est cogitare ipsos consentiente Petro Episcopos per diversa loca constituisse, h. e. constituisse vi illius auctoritatis quae ordinaria erat et semper duratura, quae non erat nisi auctoritas ordinaria Petri, ut eorum scilicet episcoporum constitutio perpetuam firmitatem haberet: sicut certum est ab Apostolis Episcopos ita esse constitutos ut ipsos Apostoli subordinaverint cathedrae Petri, cuius supremam auctoritatem in omnes etiam Episcopos cum ceteris dogmatis Apostoli ducuerunt Ecclesias.

V. Patet igitur quod electio episcoporum iure divino pertinet ad Romanum Pontificem, ut vel ipse eligat vel praescribat eligendi modum (Bellarminus De Clericis l. I, c. 8). Sane qui iure divino Pastor est supremus universalis et immediatus Ecclesiae is eodem iure potestatem habet et officium praeficiendi singulis portioibus gregis praepositos qui vocantur in partem sollicitudinis; nec nisi eo consentiente possunt alii sibi assumere pascendos eos qui iam illius subditi immediati sunt, ne audiant R. Pontificem eis dicentem: quid in meo agitis non mei? Porro qui ius habet praeficiendi pastores Ecclesiis is ius pariter habet eligendi; eliguntur enim tantummodo ut praeficiantur: nullam proinde vim habere potest ea electio, quae sine auctoritate illius fiat qui ex divina institutione ius habet praeficiendi quos censeat idoneos. Si ergo olim ad alios sive Episcopos Provinciae (can. nicaeno 4), sive capitula cathedralium (cf. Gerhohi scriptoris sec. XII expositionem in Ps. 64. n. 27) pertinebat ius eligendi, quo ius quoddam ad rem conferebatur electo; vel ad Patriarchas aut metropolitanos pertinebat ius instituendi canonice pastores, id ex concessionem Vicarii Christi ita pro bono Ecclesiae statuentis dimanasse dicendum est. Sane decreta Nicaenae Synodi a Romana Sede auctoritatem mutuata sunt: et Patriarcharum auctoritas a Petro originem habuit. Cum igitur omnia sita sint in potestate Vicarii Christi, im-

pium est et ineptum contendere ut electiones episcoporum nunc fiant eo modo quo fiebant olim ac si ex iure aliquo sibi insito Episcopi Provinciae, aut clerus Ecclesiae tunc eligerent: quo iure essent nunc iniuste spoliati, quod falsissimum est et blasphemum. Quaeenam autem sint partes plebis in electione Episcoporum diximus in proleg. §. VII, n. V.

SCHOLION

Quoniam circa electionem Romani Pontificis nunc quaestio quaedam a nonnullis sciolis agitata est, non erit abs re speciatim de ea disserere. Itaque primum distinguenda est quaestio iuris a quaestione facti. Si quaestio iuris agitur, evidens est in potestate solius Romani Pontificis esse determinare formam huius electionis, atque ita ut irrita sit quaevis alia electio secus facta. Etenim determinatio illius rei quae spectat ad commune societatis bonum, et ex qua sequitur obligatio totius societatis, est actus iurisdictionis, propriusque auctoritatis supremae cui subest tota societas: atqui electio Pontificis res est spectans ad bonum totius Ecclesiae et ex ea consequitur obligatio qua tota Ecclesia obstringitur obediendi personae electae; auctoritas autem suprema Ecclesiae non est nisi in Romano Pontifice, est enim ipse Primatus qui eius proprius est: ergo solus Romanus Pontifex ius habet statuendi formam validam electionis. Nec est aliquis circulus: nam primus Romanus Pontifex h. e. Petrus nulla electione indigebat, sed iure suo cathedram hanc assumpsit; potuitque ipse, et ceteri post eum potuerunt formam determinare electionis suorum successorum.

Unde consequitur quod qui secundum aliam formam eligeretur ab ea quae auctoritate Romani Pontificis statuta est, is non esset vere electus, nec ipsi conferretur a Deo auctoritas Primatus, sed si Ecclesiam vellet regere, tyrannus esset execrandus, etsi omnes potestates seculi ei faverent, satanae enim vice fungeretur principatum gerens inter filios tenebrarum.

Quod spectat ad quaestionem facti, haec satis sit singillatim advertere: 1° Successor Petri ab ipso Petro designatus fuisse videtur: 2° primis Ecclesiae seculis electio episcopi Romani eo modo videtur peracta quo generatim electio episcoporum primarum sedium peragebatur, convenientibus scilicet episcopis synodi romanae, clero et plebe Romanae Ecclesiae praesente; sic enim Cornelius electus est « de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quae tunc affuit suffragio, de sacerdotum (episcoporum) antiquorum et honorum virorum collegio (al. consensu) », teste Cypriano epist. LII. Plebis autem interventus diu viguit in electione Pontificis. Is apparet in formulis

electionis quae exhibentur a libro diurno §§. 58, 60; isque media aetate adhuc comparet in decreto Nicolai II (v. infra); is vero plurimarum turbarum et haud infrequenter minus probandarum electionum causa fuit. 3° Sub finem autem seculi V Odoacer Rex Gothorum sedente Felice III confirmationem electi sibi vindicavit. Clerus quidem populusque romanus huius decreti rationem non habuerunt, at schismatis occasio fuit in electione Symmachi. Porro Iustinianus Imperator usurpationem Regum Gothorum quos ex Italia profligavit, hereditario iure sibi asseruit: licet decretum Odoacris cassatum fuerit a Synodo Romana sub Symmacho. Stephanus III in Concilio Lateranensi ann. 769 hoc decretum tulit Act. 3°. « Sed et hoc sub anathematis interdictionibus decernimus, ut nulli unquam laicorum sive ex manu armata (ex militia) sive ex aliis ordinibus praesumant inveniri in electione Pontificis, sed a certis sacerdotibus atque Proceribus Ecclesiae et cuncto clero ipsa Pontificalis electio proveniat. Et priusquam Pontifex electus fuerit, et in Patriarchium deductus, omnes optimates militiae, vel cunctus exercitus, et cives honesti, atque universa generalitas populi huius Romanae Urbis ad salutandum eum sicut omnium Dominum properare debeat. Et ita more solito decretum facientes, et in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent. » Liquet ex his omnibus non fuisse prorsus populum exclusum a negotio electionis, sed temperamentum quoddam additum suae actioni ut non praevertere postulando, sed subsequi concordis subscriptione deberet electionem a clero factam. Certe et in subsequentibus electionibus per plura secula actio populi comparet. Quoniam vero Imperatoris Christiani auctoritas, qui ea bene uteretur, conducere poterat ad compescendas turbas in electionis negotio, ac continendos in officio factiosos, eam Romana Sedes aliquando passa est; ipseque Gregorius M. electus non improbavit. 4° Constantinus vero Pogonatus postulante Romana Sede sub Benedicto II abdicavit usum huius confirmationis. Nihil tamen profuit haec bona voluntas Constantini; perrexerunt enim alii Imperatores eius ius sibi asserere; donec prorsus excussum est iugum sub Zacharia, cum Iconoclastae imperarent. 5° Carolus M. an. 814 iussit tanquam exsecutor canonum eum, qui sine contradictione electus esset, mox consecrari, postulans tantum uti a consecrato mitterentur legati ad se suosve successores pro pacis societate. Carolini tamen Imperatores iam a Ludovico Pio se immiscere voluerunt electioni Pontificis, iubentes electum non consecrari nisi accedente eorum consensu; idque Lotharius contendit sub Valentino. Quod Romanis non placuit, ideoque citra Imperatoris consensum Gregorium IV successorem ordinarunt. Quod male habitum a Lothario, qui iussa sua instauravit sub Sergio II. 6° Sub Adriano II

integram libertatem ab iniusta Francorum oppressione obtinuit electio Pontificis. Eam tamen in Synodo Romana sponte temperavit Ioannes IX. c. 10 ita statuens: « quia sancta Romana Ecclesia plurimas patitur violentias Pontifice obeunte, quia absque Imperatoris notitia et suorum legatorum praesentia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii qui violentiam et scandala in eius consecratione non permittant fieri (en officium imperialis auctoritatis) volumus ut deinceps id abdicetur, et constituendus Pontifex convenientibus episcopis et universo clero eligatur, expetente senatu et populo eum qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, praesentibus legatis imperialibus, consecratur ». Deinceps tamen frequenter electio fiebat nesciente Imperatore, donec sub Clemente II Henricus III statuit ratam non haberi electionem sine eius consensu factam; nec causa defuit huius decreti. 7^o Nicolaus II hoc decretum tulit in Synodo Romana, in quo incipiunt eminere electores Cardinales: « Religiosissimi viri praeduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus autem atque legitimus electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum Patrum regulis sive gestis, etiam illa b. Leonis praedecessoris nostri sententia recolatur. Nulla, inquit, ratio sinit ut inter episcopos habeantur qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Quia vero Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur Ecclesiis, atque ideo supra se metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum episcopum ad apostolici culminis apicem provehant. » Ibidem statuit ut in electione salvus sit debitus honor et reverentia dilecti filii Henrici tunc regis, et futuri Imperatoris, sicut iam ipsi concesserat, ac pariter idem honor tribuatur successoribus illius, qui ab Apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint. Postea tandem electio fieri caepta est a solis cardinalibus, quam ita Alexander III in concilio Lateranensi oecumenico definivit ut « ille absque ulla exceptione ab universa Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit et receptus » (C. licet de electione et electi potestate).

Nota Nicolaum II l. c. statuisse ut statim ac quis in Romanum Pontificem electus esset, omnia etiam ante consecrationem agere posset quae sunt iurisdictionis. Id per se consequitur ex eo quod potestas Primatus a nullo homine detur, nec per ordinationem iurisdictionis conferatur: prioribus tamen seculis videtur spectata fuisse consecratio ut complementum electionis.

Iam vero forma electionis confirmata ab Alexandro III ab eventu commendationem nacta est, universaeque Ecclesiae per plura secula se probavit. Quis ita insipiens ut exoptet eam formam quae interveniente plebe tot perturbationes, seditiones, et indignorum electiones seculo X praesertim peperit? Ceterum, ut iam diximus, ea sola forma legitima esse potest, quae a competenti auctoritate h. e. a Romano Pontifice fuerit determinata.

THESIS XV.

Proprium est proinde Potestatis Primatus ut nullis ecclesiasticis canonibus sit coactive circumscripta aut limitata.

I. Canones vel iuris sunt divini, aut naturalis, vel ecclesiastici, hi vel universales vel particulares, iidem vel a Concilio sive oecumenico sive alicuius provinciae, vel a sola Romana Sede profecti sunt. De Canonibus iuris divini aut naturalis non disputamus, sed de aliis. Heic nobis occurrunt Gallicani. In Declaratione enim anni MDCLXXXII, praemissa in articulo 2^o auctoritate Conciliorum generalium supra Pontificem, colligunt in articulo 3^o « Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis ut statuta et consuetudines, tantae Sedis et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant. » Vim huius articuli exponit nobis Benignus Bossuet in Defensione Declarationis, L. XI. Gensent ergo auctores illius articuli plenitudinem potestatis Ecclesiasticae esse penes Petrum et successores eius iure divino: *exercitium autem potestatis huius* regulandum esse per Sacros Canones. *Exercitium* aiunt non ipsam *potestatem*, quia concedunt Papam omnia posse cum necessitas id exigit, sed una sciunt canones universali reverentia consecratos praescribere regulas quas ipse sequi debeat. Cum ergo canones non potestatem in se ipsam, sed usum eius tantum respiciant; idcirco dictum est *exercitium potestatis moderandum esse* (c. 20). Nimirum Ecclesia nequit gubernari voluntate arbitraria Romani Pontificis; sed is in regimine quidem universalis Ecclesiae sequi debet canones universaliter receptos et totius mundi reverentia consecratos: in regimine autem particularium Ecclesiarum, cuiusmodi est Ecclesia gallicana, sequi debet regulas receptas in iis ecclesiis. Comprehenduntur vero sub nomine regularum consuetudines approbatae. Illae porro leges vel regulae censentur receptae et approbatae, quae ex consensu Romanae Sedis simul et ecclesia-